

D. D.

21

**SPECIMEN
EXPLICATIONIS
DICTI HEBR. XI: I.**

QUOD,

*Suffragante Ampliff. Ordin. Philos. in Regia Academia
Aboënsi,*

PRÆSIDE

**LAURENTIO O.
LEFREN,**

L. L. O. O. & Græcæ Profess. Reg. & Ordin.

PRO GRADU

Examinandum modeste defert

NICOLAUS ÆIMELÆUS

Ostrobotniensis.

Die XXXI. Maji Loco & horis ante meridiem solitis.

A B O Æ

Impressit JOHANNES CHRISTOPHORUS FRENCKELL.



§ I.

Ut quisque verissimus est Christianus, ita in Sacris Literis maximas invenit delicias: non igitur mirum, quod eas diurna atque nocturna ruminetur meditatione, Pl. I: 2. Testantur enim de Christo, quo nihil neque dulcius, neque suavius vel mente concipi potest. Quisquis igitur has fastidit delicias, is minime Christianus est. Quid vero de iis sentiendum, qui in putidissimis ingenii humani commentis multo plus invenire se credunt dulcedinis? Ne quid gravius dicam, palato admodum corrupto laborant. Interea se videri volunt sanissimos. Hinc culpam negligentiae in ipsum Scripturae Textum impudenter conjiciunt. Inter alia vitia, quibus eum esse obnoxium crepant, etiam obscuritatem & ambiguitatem numerant. Ut, his eum infectum esse, imperitis persuadeant, specioso admodum argumento utuntur. Quis, inquit, claram & veram agnoscere poterit scripturam, cujus de sensu adeo dissident Interpretes, ut unus saepe locus sexcentis diversissimis prematur expositionibus? Hi si discere velint, hujus quidem phaenomeni longe alias esse causas, alio modo calculos subducant, necesse erit. Nobis in praesentiarum unam tantum

A

caussa.

causam detexisse sufficiat. Eam in natura linguarum invenieraus. Cunctis nimirum lingvis subinde accidit, ut aliis atque aliis distinctæ adpareant vocibus, quæ tanta gaudent significantia, ut nulla alia in lingua inveniantur voces, quæ eas penitus exhaurire queant, quamvis, quid involvant, haud obscure intelligere possint, qui cum solida linguæ notitia sufficientem rerum cognitionem conjunxerunt. Idem Lingvis Sanctis sæpius accidit. Exemplum præbet locus Epistolæ ad Hebræos, cap. XI: com. 1, ubi APOSTOLUS, indolem fidei descripturus, vocabulis valde emphaticis *υποσους* & *ελεγχος* utitur. Quod enim hic tantopere variant interpretes, id fere non aliunde provenit, quam quod cætera linguæ non gaudent vocibus, quæ his exacte respondent. Hunc igitur locum hac qualicumque dissertatione pro virili excutere satagemus. Qua autem felicitate hoc præstare potuerimus, id nunc tuo, Lector, iudicio æstimandum deferimus, qua decet observantia rogantes, ut innocuum nostrum periculum in meliorem interpreteris partem.

§. II.

Primo omnium adponere placet verba textus, quem nobis enucleandum sumsimus. Sic vero ea habent: *εστι δε πισις ελπιζομενων υποσους, πραγµατων ελεγχος & βλεποµενων* Textui versiones nonnullas celebriores mox subjunxisse juvabit, tum ut ipsi habeamus, ad quod provocare possimus in sequentibus, tum ut Lectores insignem earum varietatem uno quasi obtutu oculi percipiant. Agmen hic ducerent versiones orientales, nisi inopia characterum eas adponere prohiberet. Latinis igitur interpretamentis, quæ Polyglotta Valtoniana exhibent, contenti erimus. Sic igitur ibi expressa est Syriaca: *Est autem fides certitudo de iis rebus, quæ sunt in spe, ac si jam*

*Jam existerent, & revelatio earum, quæ non videntur. Paulo aliter Arabica: Invenitur autem fides substantia eorum, quæ exspectantur, evidentia rerum, quæ non cernuntur. Plus vero diversitatis habet Æthiopica: Est spes eorum qui credunt, substantia eorum quæ non cernuntur. Causias discrepantiarum, quæ hic conspiciuntur, non est hujus loci eruere. Quare Europæas mox addimus. Latinus Interpres Vulgatus hoc modo transtulit: Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non adparentium. SEB. CASTELLIO: Est autem fides sperantium substantia, rerum demonstratio quæ non cernuntur. BEZA: Est autem fides illud, quo subsistunt quæ sperantur, & quæ demonstrat quæ non cernuntur. LUTHERUS: Es ist aber der Glaube eine gewisse Zuversicht des, das man hoffet, und nicht Zweifeln an dem, das man nicht sehet. SVECUS: men tron är en wiß förståelse på thet som man hoppas, och intet twifla om thet man icke ser. FENNICUS: Usko on wahwa uskallus, niihin joita Toivotan, ja ei epäile näkymättömistä. DANUS: Men troen er en bestandighed paa de ting, som haabes, en fast overbevisning om de ting, som icke sees. ANGLOUS *Now faith is the ground of things which are hoped for, and the evidence of things which are not seene.* VERSIO GALLICA Genevensis: *Or la foi est une subsistence des choses qu' on espere, & demonstration des choses qu' on ne voit point.* ALIA a L'ENFANT & BEAUSOBRE adornata: *Or la foi est une attente ferme & constante des choses que l'on espere, & une conviction de celles, qu' on ne voit point.* ALB. BENDELII Germanica: *Es ist aber der Glaube eine Darstellung dessen, das man hoffet, eine Ueberweisung von dingen, die man nicht sehet.* BELGICUS: *Het geloove nu is een vaste gront der dingen die men koopt, (ende) een bewiis der saken die men niet en siet.**

§. III.

His præmissis, ad vocabula seorsim enucleanda accedimus. De voce πισως, quæ subjectum est propositionis, non opus est, ut multa moneamus, cum omnes interpretes *fidem* transferant. Quum vero etjam hæc vox aliam atque aliam admittat significationem, nihilo minus ambiguitati locus est. Quæri nimirum potest, utrum hoc loco intelligi debeat fides generalis, quæ primi, an vero specialis, quæ secundi dicitur articuli? Alii aliter de fide generali & speciali quæstionem instituunt, discere cupientes, utrum ea hic fides innuatur, quæ sola speranda, an vero quæ omnia credenda complectitur. Nos, ut omnia hæc dubia uno solvamus verbo, omnes fidei species hic comprehendendi sciscimus. Nam si illam solam hic intelligere velis fidem, quæ primi est articuli, erroris facile convinceris, si memineris, hoc loco sermonem esse de fide, qua ὁ διχαιος ζησεται, & quæ est ἐς εἰς πῆλαπὸν ἠπν ψυχῆς, uti ipse APOSTOLUS diferte docet in commentibus proxime præcedentibus, nimirum 38 & 39 capituli decimi, cum quibus nostrum oraculum ope particulæ δε cohæret. Quod si vero contra urgere velis, solam fidem salvificam vel secundi articuli hic nomine πισως indigitari, iterum aliud docebunt exempla, quæ infra in hoc ipso capite ab Apostolo adducta sunt, modo tum res, tum personas, quas concernunt, paulo diligentius æstimare volueris. Neque hoc impedit nexus, quem particula δε, uti nuper monuimus, involvit. Nam si hæc prædicata, υποτασιν & ελεγχον, ad unum fidei genus restringeret, non indefinite πισως, τρον, sed definite ἡ πισως, τρον, enunciari debuisset subjectum, quod tamen factum non esse, ipsa αυτοψια docet. Mirum vero videtur, quod hoc nemini interpretum, quos quidem nobis videre licuit,

cuit, observatum sit. Eoque minus a nobis, quibus in mentem venit, reticeri debuit. Atque hæc de subjecto monuisse sufficiat.

§. IV.

Nunc ad prædicata transitum facimus. Hæc seorsim expendenda sunt. Primum igitur excutiendum venit nomen *υποστασις*, in quo ipse cardo quæstionis vertitur. Hoc verbo *υφιστημι* originem debet. Quid igitur hoc significet, eo rectius hic quæritur, quod notiones nominis *υποστασις* multum inde lucis lucentur. Ad utramque compositionis partem seorsim attendisse juvabit. Præpositio ergo *υπο*, in verbis compositis, nunc statum, aut statum designat inferiorem, nunc notionem continuitatis involvit. Verbum simplex *ιστημι* ex numero est eorum, quæ & actum & statum involvunt. Nunc enim *stare*, nunc *statuere*, sed in diversis temporibus, valet. Hinc *υφιστημι* proprie valet neutraliter *substare* atque *subsistere*, active vero *facere ut aliquid substet aut subsistat*, quorum illud dicit alterum alteri tanquam fundamentum supponere atque substernere, hoc vero idem valet, ac aliquid in rerum naturam producere. In passivo subsidere notat, quod est quasi infra alia locari. Quomodo hinc deinceps derivatæ sint significationes subeundi, succedendi, substituendi, sufficiens, persistendi, remanendi, tolerandi, sufferendi, suscipiendi, pollicendi, audendi, impetumque excipiendi &c. seorsim excutere non vacat. Hoc tantum hoc loco observandum, nomen *υποστασις*, de quo hic quæstio est, tot admittere notiones, ut his fere omnibus respondeant. Has tamen singulas hic adducere non patitur ratio propositi. Eas igitur recensuisse sufficiat, ad quas ab aliis atque aliis inter-

interpretum provocatum cognovimus, idque non uno tenore, sed eo ordine, quo quodlibet interpretamentum sub examen revocare licet. Hic tantum in antecessum monemus, vocem *επιζομενων*, de qua *υποκεισις* prædicatur, non subjectum, sed objectum fidei respicere, secus ac habet vetus quidam translator, qui hanc vocem non pro iis, quæ sperantur, sed pro iis, qui sperant, accipiendam esse judicavit, uti constat ex Tract. LXXIX & XCV AUGUSTINI in JOHANNEM. Recte enim observat ESTIUS hoc loco, sic alterum quoque participium *επιζομενων* active reddendum fuisse *non videntium*, quod tamen eo absurdus fuisset, quo certius constat, *το* videre non rerum, sed personarum esse. Objecti vero fidei duas proprietates describit, alteram nimirum, qua nondum ut præsens possidetur, sed adhuc ut futurum speratur, alteram, qua proinde sub oculos non cadit, sed invisibile est. Sed hoc velut in transitu. Nunc potiores Interpretum hypothesen paulo curatius ordine lustrare placet.

§. V.

Initium igitur facere convenit ab hypothesi eorum, qui vocem *υποκεισις* hoc loco *fundamentum* interpretantur. In horum numero præter Anglum, vid. §. II. est GOTHOFR. OLEARIUS, qui in commentariis ad hanc epistolam, fidem hic describi, statuit, per id, quo nitantur *επιζομεναι*. Vocem vero *επιζομενων* is etiam active sumsit, vocemque *υποκεισις* metaphoricè, unde utramque simul sumtam *constantiam sperantium* reddidit. Huic quoque convenit explicatio ARTEMONII in Ev. SANCTI JOH. restituto, quam quidem interpretandi rationem modo rejecimus. Melius quidem DIETENBERGIUS & ZAN-

ZANGERUS Germanice: ein beständiger Grund, transtulerunt. Sed horum, etiam fundamentum solido fundamento carere videtur. Non equidem ignoro, verbum ὑψιστης subinde adhiberi de columnis supponendis, cuius rei exemplum occurrit apud PINDARUM, qui VI. Olymp. Odam his incipit verbis: χρυσεας υποσασαντες επιχει προσθρα θελαμων κιονας, *Aureas supponentes bene murato vestibulo domus columnas.* Quid? quod in hoc loco DIOGENIS LAERTII δυο παθη υψισαντο, *πορον και ηδουνη,* *duas animi perturbationes ponunt, dolorem & voluptatem,* verbum υψισαντο sine dubio fundamentum cæteris substernere valeat. vide Lib II. § 86. Nec me fugit usus ipsius nominis υποσαστας, quo revera fundamentum valet. Nam de templo Jovis Agrigentino, quod in Sicilia maximum est, dicit DIODORUS SICULUS Lib XIII, quod cum templis exteris non male comparari poterat, *δια το μεγαθος της υποσαστας,* *propter magnitudinem fundamenti.* Quod si vero υποσαστη hoc loco per totam templi substantiam interpretari placuerit, quod tamen minus forte congruum esset, aliud dabimus exemplum, quod notionem fundamenti extra aleam dubitationis ponet, nempe THEMISTII orat IX. pag. 120: *οσι γαρ δη μονω το περιε της εν ανθρωποις ημης απασης, αρχη γινεται και υποσαστης,* *hoc enim quod humanarum omnium dignitatum fastigium est, uni tibi initium & quasi fundamentum est.* Quominus vero APOSTOLUM credamus fidem hoc loco adpellare voluisse fundamentum sperandorum, duo potissimum prohibent. Primum quidem hoc naturæ repugnat fidei, quæ ipsa opus habet fundamento, quo nitatur, verbo nimirum DIVINO. Deinde minus concinne cohæret hæc sententia cum altero propositionis membro, quo eadem ελεγχος & βλεπομενων audit, de quo in sequentibus oportunitior dicendi occasio dabitur.

§. VI.

Hic sub examen vocanda venit interpretatio eorum, qui nomine υποστασις indicari volunt firmam animi fiduciam, quam quidem sententiam, præstantibus nonnullis interpretibus, utpote LUTHERO, Svecano, Fennico, Danico, LENFANT & BEAUSOBRE suam fecit Cel. SEB. SCHMIDIUS, qui in com. in h. E. verba APOSTOLI sic reddenda judicat: *Fides est certissima rerum sperandarum fiducia* Hac interpretatione naturam fidei exprimi, nobis persuasissimum habemus. Utrum vero vox υποστασις eam admittat, adhuc dubitare licet. Quo igitur fundamento nitatur, paucis videndum. Verbum υποστημι inter alia adhiberi solet de rebus gravibus, quæ levioribus adfusæ fundum petunt. Sic ubi ARISTOELES de gravitate & levitate elementorum agit, de levioribus adhibet verbum επιπολαζειν, *in superficie natave*, de gravioribus vero υποστασθαι, quod *subsistere* & partes inferiores occupare valet. Hinc derivatum υποστασις, significare cœpit, solidam illam substantiam, quæ in materiis liquidis fundum petit. Sic de sedimento urinæ & crassamento sudoris dicitur, quod exempla Auctorum passim docent. Deinde rem quamcunque stabilem & constantem notare potest. Quem ad modum igitur verbum υποστημι sæpius de militibus impetum sustinentibus & cedere irruenti detrectantibus prædicatur, ita υποστασις quandoque statum animi metuere nescii vel invictam animi fiduciam denotat. Sic POLYB sumsit Hist. L. IV. cap. 50: *οἱ δὲ Ῥῶδιοι θεωροῦντες τὴν τῶν Βυζαντιῶν υποστασιν, πραγματικῶς διανοηθῆσαι πρὸς τὸ καθικεῖσθαι τῆς κερῆσεως.* Rhodi ubi banc fiduciam Byzantinorum animadvertunt, solerter rationem excogitant perficiendi, quod sibi proposuerant. Pari modo idem Lib. VI. cap 53, ubi de Ho-

ratio Coclite agit, qui ponte rescisso unum se hostibus ob-
 jecerat, hæc addit: *εκ ατω την δυναμιν, ως την υποσασιν*
αυτη κη) πολυαν καταπιπλημειων των υπιναιπων, quos non a-
deo vis Coclitis, quam constantia & audacia perculit. Pa-
 rum igitur abest, quin hanc vocis notionem adoptemus,
 eaque cum priori conjuncta, sic reddi debere statuamus:
Fides est imperterrita animi recumbentia in speratis, tan-
quam in fundamento, Svethice: *Evon at et oförsträckt hvi-*
lande på det man hoppas, såsom på en säker grundval. Sed
 unicus remanet serupulus, quod casus gignendi in voce
επιζομετων, supponit ellipsin præpositionis, quam idoneis
 exemplis nondum adstruere possumus, ut taceamus, quod
 sequentia, aliam interpretationem postulare videantur. Qua-
 re de meliori adhuc circumspiciendum videtur.

§. VII.

Hoc cogitantibus opportune in mentem venit, for-
 ma nominis *υποσασως*, qua verbale est, actum sui verbi
 inferens & latinis verbalibus in io desinentibus respon-
 dens. Hoc ipsa docet *αυτησια*. Ne vero quid gratis di-
 xisse videamur, observasse juvabit, hoc nomine non tan-
 tum designari solere rem fundatam & stabilem, sed ipsum
 quoque actum fundandi & stabiliendi, vel si mavis, i-
 psam rei constitutionem & productionem, seu efficientiam
 hominis, qua aliteri rem quandam confirmat. Hoc nos
 docuit auctoritas THEOPHRASTI, qui Histor. Plantar.
 Lib. II cap 7, ubi arbores pro natura loci constituendas
 monet, hanc sententiam his proponit verbis: *πεισθηι δε*
κη) προς τον τοντας υποσασις Hic *υποσασιν* actualem rei
 constitutionem citra controversiam dicit. Jam vero in
 memoriam nobis simul revocemus notionem verbi *υφι-*
σημι, qua proponere, framställa, significat v. g. *γυνωας ο-*

Φας, ut est apud SOPHOCLEM in AJACE. Imprimis vero meminisse juvabit, quod hoc verbum significet in naturam rerum producere, seu efficere ut res actu existat. Hanc vim verbi varia probant exempla auctorum, Ο Θεος υπερεσε παντα εξ μη οντων, *Deus omnia ex non existentibus produxit*, sententia Lexicis est tritissima. Hanc confirmat parallela GREGORII de baptismo: *αλλ ωσπερ μη οντας ανθρωπους υπερεσεν, ετως υποσαντας αππλαση, sed sicut homines non existentes ex nihilo produxit, sic eos, postquam in rerum naturam producti sunt, demuo finxit.* Quod vero vox υποσασις realem rei productionem involvat, ex iis constat, quibus opponi solet. Sic υποσασις contradistingvi solevit εμφασις seu inani speciei, quo pacto nubes sunt υποσασις, arcus vero in nubibus εμφασις, Speculum υποσασις, imago in speculo εμφασις, observante B. MEISNERO in Philosophia Sobria ad hunc locum, sic ARIST. Lib. de mundo Cap. 4. των εν αερι φαντασματων τα μιν εστι κατ' εμφασιν, τα δε καθ' υποσασιν. *eorum quae in aere adparent, alia specie, alia vere existunt.* Hinc si vocabulis barbaris uti liceret, υποσασις ελπιζομενων reddere possemus, *eorum quae sperantur verificatio s. realisatio.* Hoc ulterius probat locus ATHANASII T. II. p 319, ubi δοκησις & υποσασις ut contraria, sed υποσασις & αληθεια ut synonyma adferuntur. Verba loci haec sunt: μηδεν ιονη κατα δοκησιν, αλλα καθ' υποσασιν κη αληθειαν. *Nihil cogitare ex opinione, sed ex re & veritate.* Hoc idem probant verba ARTEMIDORI in Oneirocritica sequentia: Φαντασια μιν εχειν πλατη, υποσασιν δε μη, *Phantasia tantum, non vero re ipsa esse devitem, & THEMISTII in Phyl. 2. α μηδε τω λογω χωρετα ταυτα κη υποσασι χωρεσει.* Parimodo CHRYSOSTOMUS Homil. XX in Ep. ad Rom. p. 175, ubi plurima enumerat δοκηματα ειναι μεγαλα, quae

quæ magna videntur aut putantur, sed non sunt, utpote divitias, gloriam, venustatem delicias &c. de omnibus tandem pronuntiat, quod tantum modo *σχημα* & *προσωπικῶν* sint, id est effigies fallax & personata, quæ mox exiit, non vero *υποστασις μενῶσα*, realitas vera & fixa, quam simul vocat *πραγματων αληθειαν*, veritatem realem. Vide sis SVICERI Thesaurum Ecclesiasticum in voce *υποστασις*.

§. VIII.

Quum PAULUS esset gente Hebræus, & eruditus, verisimile est, hoc commate duas contineri sententias parallelas, quæ unum fere idemque, dicant, quales Hebræi, in stylo saltem Poëtico, amare solent. Qemadmodum igitur *επιζομινα* & *εβλεπομινα* quodammodo coincidunt, ita de cæteris duabus vocibus, *υποστασις* & *ελεγχω*, idem videtur tenendum. Prius igitur, quam nobis, aut aliis hoc firmiter persuadere possimus, quid vox *ελεγχος* in recessu habeat, paulo curatius explorandum. Verbi *ελεγχεν* notiones materiales arguendi, redarguendi, ostendendi, demonstrandi, vel pueris notæ sunt. Quid vero hoc verbum formaliter notet, id paulo obscurius patet. Verbum esse compositum veri simillimum est; ex quibus vero vocibus conflatum sit, difficiliter cognoscitur. In controversiis Pietisticis, ut dicuntur, disputatum est inter partes disidentes, utrum strangulandi an illustrandi potestatem haberet, aliis ore gladii, aliis gladio oris convincere volentibus adversarios. Utri verius judicarent, res ipsa docet. De genuina vero etymologia vocis consulti potest Etymologicum Magnum, quod *ελεγχεν* ab *ελεγχος* deducit, itaque pergit: *ελεγχος δε εστιν ο το πραγμα σαφηνιζων. παρα το ελην εχειν, ηγαν λαμπρονα και φως, ελεγχος τις ων, και πλεονασμω τε ε, ο φωτιζων τα πραγματα, ο γαρ ελεγχος εν φως αγει τα πραγματα.* In hac etymologia

gia ad lucem, declarationem & illustrationem redeunt omnia. Et vi ejus ελεγχος & βλεπομενιον nihil aliud est, quam genus luminis, quo cernere dantur ea, quæ, cum absint, oculis usurpari nequeunt. Jam igitur quomodo usus loquendi apud Græcos idem confirmet, videndum. Huic fini inservit illud: εργα δὲ χερα ελεγχει. *Opera arguunt manus.* h. e. quales sint manus, ostendunt opera, apud SVIDAM in voce ελεγχειν. Sic διδοται ελεγχον τα βίαι apud PLATONEM, est ostendere, quomodo quis vixerit. CLEMENS ALEX. Pædag. Lib. I. p. 122. ελεγχος, inquit, εστι προφορα αμαρτιας εις το μεσον Φερασα, *Probatio est prolatio peccati in medium.* Quid hoc sibi velit, adhuc clarius docet pag. 127, ubi ελεγχον comparat speculo, quod deformitatem ostendit, & Medico, qui Ægroto febrem indicat, & γαρ inquit αιτιος τα πυρετα ο ιατρος, αλλ ελεγχος εστι τα πυρετα, *Neque enim Medicus est causa febris, sed febris index est.* Hinc THEOPHYLACTUS, ad hunc locum, ελεγχον interpretatur δειξει και Φανερωσιν αδηλων πραγµατων, *demonstrationem & manifestationem rerum, quæ non sunt perspicua.* Quid vero Scrinia Patrum inspicimus, cum ipsa Sacra Pagina, non uno in loco, eandem vocis notionem haud obscure præ se ferat. Sic JOH. III: 20. πικ γαρ ο Φαυλα πραττω µισει το Φωσ και οκ ερχεται προς το Φωσ, να μη ελεγχη τα εργα αυτη Verba ultima hujus oraculi citra controversiam reddi debent: ne opera ejus a luce manifestentur, Svethice: *Ut Hans gerningar ej må bli uppenbara.* Et Eph. V: 13. τα δε παντα ελεγχουµεν αυτο τα Φωτος Φω ερχεται, *Omnia quæ a luce manifestantur, perspicua evadunt,* Svethice: *Alt det som af ljus det bestrålas, det blifver uppenbart.*

§. IX.

Hactenus utrumque membrum oraculi nostri APOSTOLICI

LICI seorsim enucleare conati sumus. Nunc integrum ita vertendum judicamus: *Est vero fides eorum quæ sperantur, productio, rerum quæ non videntur, manifestatio.* Svethice: men tro gör det iwerkligt, som man hooptas, och det appenbart, som man icke ser. Quamvis hæc interpretatio ex iis, quæ in præcedentibus adducta sunt, satis & clara & certa videri possit, ne quid tamen desit, adhuc pauca adjecisse non pigebit. Primum quidem ingenue fatemur, non ita idoneos esse terminos, quibus eam expressimus, quin aptiores invenire possint alii, quibus majus ingenii lumen contigerit. Deinde non tam nova, quam vera est. Nobis enim præeuntem habuimus interpretem Syrum, cui ante nos suum calculum adjecit B. ALB. BENGELIUS. Præterea quod ad rem ipsam attinet, non desunt, neque ex antiquioribus, neque ex recentioribus, qui hunc oraculi sensum adgnoverunt, quamvis non omnes vetera mutarint vocabula. Sæpius enim hoc usu venit, ut Theologi loca incommode versa, commodis juvent commentariis. Idem nostro accidisse, nunc aliis atque aliis rerum testimoniis evidum ire placet. Initium fiat a Patribus. Inter hos JOHANNES CHRYSOSTOMUS, Homil XXI in Epist. ad Hebr. sic commentatur.

Θαβαι, οια λεξει εχρησται επαν, ελεγχος ε βλε-
 ποιμειων, ελεγχος γαρ λεγεται επι των λιαν αδηλων. Η
 πισις τοιων εστιν οπισ των αδηλων, φησι, ηδη εις την αυ-
 την τοις ορωμοις φερεται πληροφρονητα μη ορωμενα. ετι εν τοις ο-
 ρωμοις απιστοι εστιν ετι παλιν ειμη των ορωμενων ου φερεται περι των
 αορατων πληροφρονηται τις, πισις ειναι δυναται. επιδαι γαρ τα ει ελ-
 κιδι αυποσατα ειναι δοχει, η πισις υποσασιν αυτοις χαρισται
 μαλλον δε, ε χαρισται, αλλ αυτη εστιν εστια αυτων. Οταν, η απασα-
 σις ε παραγεγονεν, εδω εστι εν υποσασι, αλλ η ελπις υφιστιν αυτη
 εν τη ημετερα ψυχη. Τυτο εστιν υποσασις προματων ε ελεπιμο-
 ιων. Pape! quali dictione usus est, dicens argumentum non ad-

parentium? Argumentum enim dicitur de iis, quæ obscura sunt valde. Fides igitur inquit, est visio eorum, quæ non sunt conspicua, & ea quæ non videntur, deducit ad eandem certam ac plenam persuasionem cum iis, quæ videntur. Neque enim de iis, quæ videntur, dubitandum, neque rursus, si quis de iis, quæ non cadunt sub aspectum, non fuerit certius persuasus, quam de iis quæ videntur, fides esse potest. Nam quoniam quæ sunt in spe, non subsistere videntur, fides eis donat substantiam; vel potius non donat, sed ipsa est eorum essentia. Exempli causa: resurrectio non advenit, neque est in substantia, sed spes facit, ut ea consistat in anima nostra. Atque hoc est rerum sperandarum substantia. Patria habet THEOPHYLACTUS ad eundem locum pag. 987 & THEODORETUS pag. 445. quorum effata pagina angustia non capit. Hoc unum addimus, hos Patres, cum Græci fuerint, vocem Græcam optime potuisse intelligere.

§. X.

Cum Patribus consentiunt Theologi tam Romanenses, quam Protestantes. Horum agmen ducere potest THOMAS, nisi pro more justo esset subtilior, & in iis, in quibus planior est, præiudicio sectæ indulgeret. Hunc igitur honorem tribuimus BELLARMINO, Theologorum pontificiorum Choryphæo, qui "nihil aliud esse scribit," fidem esse substantiam rerum sperandarum, nisi quæ sperantur, quoniam futura sunt, non habere ullam substantiam v. fundamentum, nisi in intellectu per fidem." Itaque fides est quasi vita & anima rerum, quæ sperantur, quoniam eas apprehendens, ac menti repræsentans, facit eas quodammodo esse præsentis ac vivere; quamvis in se revera non sint nisi futura." Apud MEISN. in philof. Sobr. Part II. Cap. II. Sect I. Quamvis vero hic Theologus vocem *υποκειμενον* substantiam interpretetur, eam tamen ita declarat, ut re ipsa nobiscum conveniat, ex quo magna sit significatio, modum interpretandi, quem nos secuti sumus, veritati esse consentaneum. Sed plu-

res audiamus. ESTII hæc sunt verba: "Dicitur fides at-
 "gumentum, sive ut apud AUGUSTINUM aliosque vete-
 "res Latinos subinde legitur, convictio, Græce ελεγχος,
 "h. e. ostensio ac demonstratio earum rerum, quæ a no-
 "bis non videntur, id est, quas nec sensu percipimus, nec
 "ratione comprehendimus; propterea quod eas tam certo
 "oculis mentis nostræ repræsentet, ac si re ipsa coram
 "positæ essent, jamque exhibitæ." Apud SEB. SCHMI-
 "DIUM in Com h. l. JOHANNES GERHARDUS, vesti-
 "gia premens Patrum, "fidem ait ideo dici *υποσασιν*, seu
 "substantiam rerum sperandarum, quia quamvis res spe-
 "rata nondum existant, tamen earum existentiam fides
 "quodammodo in nobis efficit & gignit, adeoque illas
 "præsentés nobis exhibet, dum adeo certos nos de illis
 "facit, ac si re ipsa jam præstitæ essent. "Quod vero
υποσασιν mox fiduciam interpretatur, id nostræ senten-
 tiæ nihil officit. Fides enim, quæ res nondum existentes
 gignere & producere poterit, sine dubio fiduciam com-
 plecti debet. Quam vere autem fides in præsentí exhibeat
 res promissas, non aliunde certius, quam ex ipsa
 Scripturæ littera cognoscimus. Cum CHRISTUS per fi-
 dem apprehenditur, non apprehenditur ut absens, sed
 ut præsens. Hinc PAULUS Ebr. III: 14 cum de partici-
 patione fidelium de CHRISTO loquitur, verbo utitur
γεγοναμεν, quod præteriti est temporis. Differentia inter
 spem & fidem huc redit, *ut fides intueatur verbum rei,*
spes rem verbi, ut LUTHERUS dicere solitus fuit. Fi-
 des ut præsentia, spes ut futura recipit bona. Quomodo vero
 fides res absentes præsentés efficere possit, id optime in-
 telligitur, si fidem nobis ut novum quendam sensum,
 cujus beneficio ea percipiuntur, quæ sub iudicium cæte-
 rorum sensuum non cadunt, repræsentemus.